



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annvæ Litteræ Provinciæ Sardiniaë Societatis Iesv Anni 1606.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69662)

ANNVÆ LITTERÆ
PROVINCIAE SARDINIÆ
SOCIETATIS IESV

Anni 1606.



Ocij hoc anno in Sardinia fuere triginta quatuor supra centum. In Collegio Sassaritano quadraginta duo, Patres viginti, & ex his Magistri sex, Scholastici vndecim, & ex his duo Magistri, reliqui rerum domesticarum administrari. In Calaritano quadraginta octo, Patres decem & octo, ex quibus Magistri quinque, Scholastici decem & nouem, & ex his Magistri duo, ceteri Coadiutores. In domo Probationis Calaritana sex & viginti, Sacerdotes tres, totidē Scholastici, qui in tertia Probatione versabantur, Scholastici Tyrones vndecim, Coadiutores veterani quidem nouem, Tyrones vero circiter tres. In Collegio Valleclesensi vndecim, Sacerdotes quatuor, Scholasticus vnus, isque Magister, reliqui Coadiutores. In Algarensi nouem, Sacerdotes quatuor, & ex his vnus Magister, Scholasticus vnus, isque Magister, ceteri Coadiutores. Abijt vnus è vita: vndecim in Societatem aggregati sunt.

COLLEGIVM SASSARITANVM.

NOui templi futurae professa domus aedificium
eò perductum est, vt vnus, isque supremus, ac
medius tholus super sit imponendus, vt toti operi
extrema

extrema manus accedat: quod Deo benè iuuante videbit insequens annus. Beneficium hoc Illustrissimo debemus Ampuriensi Episcopo, cuius tanta est erga nos & beneuolentia, & liberalitas, vt ad summa peruenisse videatur: pietatis autem eius argumentum est huius Templi domusque institutio, vnde tātus ac tam copiosus fructus expectatur in animarum salutem redundaturus, quantus ex nostris professorum domibus, pro nostrorum munerum ratione, colligi solet. Scholasticorū numer⁹ ita creuit, vt infima Grammaticæ Schola in duas fuerit diuidenda: atque idem in prima Classe Grammaticæ, & in schola litterarum humaniorum ac Rhetoricæ fieri optimè posset, cum discantium multitudo aded̄ numerosa sit, vt singulæ Scholę centenīs quadragenīs quinquagenīsque discipulis contineantur, quorum ardor ad studia magnam, & ingenijs parem in animis æmulationem accendit.

APPENDIX AD COLLEGIVM
Saffarianum.

O Bijt hoc anno Frater Ioannes Brauus Hispanus Theologiæ alumnus, magnæ expectationis adolescens, qui & acri donatus erat ingenio, & pariconatu ad litterarum, & probitatis vitæ studium incubebat. Ceperat olim ex fracta pectoris vena vomere sanguinem, sed cum adhibitis remedijs fisti non potuisset, lento morbo interijt: quo in morbo non leuia nobis reliquit patientiæ documenta.

Cum annona valde cara esset, nec ad emendū frumentum nobis peccunia suppeteret, multorum ci-

L ←

uium

nium liberalitas ad centum modios contulit ad nostram inopiam subleuandam, præter totidem alios, quos Senatus quotannis conferre solet.

Cuiusdam tyronis vocationi illa addenda sunt. Is à quodam in quem fortè incidit, cum de nulla re minus, quam de insidijs cogitaret, auertitur ab itinere. Existimabat noster eum esse itineris comitem, quo cum de diuinis rebus sermonem miscuit: sed cum longius ab insidiatore deductus esset, & flumen esset traijciendum, insidiator habens equi, quo uehebatur noster, apprehensus: Deo, inquit, age gratias, Pater: Domo egressus obibam loca, vt te ad necem quererem, sed parco: dixit enim Deus, nolite tangere Christos meos: caue, ne in alios incidas, qui cum eodem, atque ego, consilio per diuersa loca vagantur: neque à me tibi vitam esse condonatam indicaueris, mihi enim vitam eripient, si hoc rescuerint. Hęc cum dixisset, nostrum & reduxit in vitam, & dimisit incolumem.

Alius Adolescens Sartor ex Sodalitate Adolescentiũ externorũ, qui nõdum vxoribus alligati sunt, in nostrã Familiam translatus est. Quidã alius Scholasticus ille quidem cooptatus est in nostram Societatem: & huic multa erat non ignobilium propinquorum cognatio; cum Calarim ad Tyrocinium discessisset, & Sacerdos quidam de nostris insequenti, aut altero post die, ad eum assequendum profectus esset, vt probationis domum deduceret, ecce in itinere inter syluas, in hominem incidit sclopo armatum, qui, & alij non pauci armis instructi per diuersa loca vagabantur, eo consilio, vt nostrum Sacerdotem occiderent, & secum, si possent, Adolescentem

lescentem asportarent. Sed humana consilia cessere diuinis, nam & huius armati hominis mens immutata consilium necis abiecit, & noster Sacerdos dimissus incolumis in aliorum armatorum neminem incidit: quare factum est, vt & Sacerdos noster, & Tyro incolumes Deo duce peruenerint Calarim.

Bacchanalium tempore tantus fit ad nostrum templum sexus vtriusque concursus ad expianda peccata, & sacrum pabulum percipiendum, vt templi angustijs magna multitudo non capiatur. Cuius rei tanta est celebritas, vt iam Bacchanalium furor frangi paulatim & extinguere videatur. Quae re licet quotannis multa dicantur, tanta verò ad eam confluit multitudo, & tantus est omnium applausus, vt res noua semper esse videatur. In hac Ciuitate sic more comparatum est, vt nostri aegrotos adeant & inuisant, vt nullus sit angulus, nulla fermè sit domus, ad quam & à nobilibus, & ab ignobilibus non accersantur ad aegrotorum confessiones audiendas, & ad eos, dum è vita discedunt, benè iuuandos. Quod officium sic probat Deus, vt aliquandò aegroti & corporis & animi salutem assequantur. Quidam cum grauiter iaceret, ab vno de nostris Sacerdotibus inuisus, & recreatus, ac per sacram confessionem Deo reconciliatus, pronuntiato supra caput eius Euangelio (vt nostrorum est mos) iam tum à feбри omninò relictus est, & ad pristinam salutem restitutus. Nec minor erga alium fuit Dei beneficentia, & misericordia. Biennium fermè erat, cum quidam vnà cum filio maiore natu erat occisus, alius, qui relinquebatur, ad patris & fratris iniurias vlciscendas intentissimus erat, nec solum ipse, verum

nec eius mater de danda venia cogitabat, immò vterque aduersus interfectorem studiosè iudicium vrgebat. Ecce in morbum hic incidit adolescens, qui autem eum inuisebant, cum vererentur, nec cum eo odio ex hac vita migraret (propè namq; abesse à morte videbatur) eum admonere & adhortari conabantur, vt sacra peccatorum confelsione animum expiaret: renitebatur ipse semper, nec eius rei fieri mentionem patiebatur. Quidam igitur misericordia ducti vnum de nostris Sacerdotibus accersuerunt, quem obsecrarunt, vt eius animam Deo lucrari studeret: existimabant enim rem fore difficilem, cum adolescens in vltione animum obfirmasset, & negare veniam pertinaciter decreuisset. Admonent nostrum, vt ad ægrotum dissimulanter accederet, ne ille eum esse accersitum intelligeret. Diligenter igitur, vt pat erat, eius domum noster accurrit, & cum ad ostium domus peruenisset, eum extemplò conspexit ægrotus, ac magna cum celeritate surrexit in lecto, & quodam terrore perculsus, & clamans: Ecce, Patres, ait, nolo eos accedere, nolo confiteri: sic autem clamans, & fusus in lacrymas, se in sindones penitus abdidit, cum illi tunc aliud non liceret: nec se ostendi patiebatur se ipse perturbans, & quam maximè posset, recondere nitens, instar hominis à malo Dæmone obsessi, cum exorcismi pronuntiantur, crucem & aquam lustralem fugientis. Eius animum noster mitigare sensim cœpit, donec victus ex sindonibus paulatim caput exeruit, & continenti oratione lenitus est: Noster ergo cum se discedere velle simulasset, Euangelium & orationem pro salute ægroti impetranda pronun-

pronuntiavit, quæ piè pariter & attentè audiuit a-
dolescens: cui noster, bonum esse, si se ad peccato-
rum confessionem compararet: tum ille se id
facturum esse respondit: nec mora, statim confessi-
onem iniuit, quam ita piè ac studiosè peregit, vt si
multis antè diebus ad eam se comparasset. Con-
fecta confessione Patrem obsecrauit, vt iterum &
sæpè ad se inuisendum rediret: si quid fortè confes-
sioni addendum occurreret: se velle optimè Deo re-
conciliari: atque ea veri doloris peccatorum argu-
menta dedit, vt eos qui aderant circumfusi, in ad-
mirationem rapuerit, cum ad eò immutatum vide-
rent, quem antea omni conatu & studio reclamantem,
& obnitentem animaduenterant. Cuius ma-
ter cum tribus circiter post diebus morbo correpta
esset, filius ei persuasit, vt suas rationes Deo com-
mitteret, ad eius fidem & tutelam, & ad pecca-
torum confessionem confugeret. Pio filio paruit
pia mater, & suam voluntatem ad diuinam accõmo-
dans, eidem nostro Sacerdoti accersito peccata con-
fessione aperuit, & magna cum omnium approba-
tione veniam ei dedit, qui marito & filio mortem
intulerat. Nec minus in eo, quod sequitur, diuina
vis cernitur in iniurijs condonandis. Cuidam pri-
mariae foeminae tres filij, quos tantum habebat, fami-
lia spes, atque vnus frater, iuuenes omnes, & in i-
pso ætatis flore necati sunt. Hac duorum annorum
spatio adduci non potuit, vt iniuriam concederet
inimicis: imò cum lacrymis à iudicibus flagitabat, vt
interfectores, qui non pauci erant, punirentur: ac
ipsa cum suis alioqui agebat, ita se gererent, vt iniu-
ria fati vindicaretur. Et cum in hoc consilio ani-
mum ob-

mum ob-

mum obfirmasset, denique duobus post annis per
 vnum de nostris Sacerdotibus est perfectum, vt ini-
 micis ignosceret: quæ iam tum accusationem vrge-
 re destitit. Huius foeminae soror, quæ non minorem
 doloris sensum ex huiusmodi necibus hauriebat,
 non minori cupiditate vltionis erat accensa, & in
 eam non segniori studio incumberebat, pium idem
 veniæ dandæ consilium est sequuta. Quidam alius
 fustis ictibus malè mulctatus in foro palam, pertina-
 ci animo Confessione, atque omni alio officio diu
 abstinere decreuerat, donec esset vltus iniuriam,
 nostrorum opera ad bonam mentem traductus est,
 & ex animo concessa venia percussori, Sacramenta,
 recta viuendi ratione instituta, frequentat. Magnus
 præterea fuit ex magno confessionum numero
 perceptus fructus, toto quidem anno, sed eò præ-
 cipuè tempore, quo Iubileum promulgatum est. Ad
 excitandum in animis omnium erga saluberrimum,
 ac diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum stu-
 dium, nostrorum consilio & opera erectum est So-
 dalitium in Templo maximo, cui Sanctissimi Sacra-
 menti cognomen est datum, quod idem in reliquis
 quatuor parœcijs Urbis factum est. Cum autem per
 concilij Prouincialis occasionem adessent Episcopi,
 voluerunt ipsi cultui tam diuino & vtili præsentia
 sua fauere, & initium dare: Immo sanctum hoc &
 laudabile studium æmulati, cum consilio idem in
 suis diœcesibus faciendi discesserunt: etiam per pa-
 gos Vrbi proximos, & Vrbes, idem fieri coeptum
 est, & spes est fore, vt breui huiusmodi Sodalitia per
 totam Insulam erigantur. Sodalitatis huius institu-
 tum illud est, vt singulis mensibus singulæ fiant in
 quaque

quaque parœcia die Dominico supplicationes, in
 quibus sacra Eucharistia deferatur. Dies autem
 Dominici ita distributi sunt, vt Dominico quoque
 die Eucharistiæ supplicatio celebretur in Ciuitate:
 in qua videre licet valdè pium prosequentium stu-
 dium, & magnum accensorum numerum cereo-
 rum, & facium. Illud præterea ad horum Sodalium
 munus attinet, vt, dū ad agrotos Eucharistia defer-
 tur, eā aut ipsi, aut eorū famuli cum accensis cereis
 & facibus prosequantur: quod dum fit, cernere est
 iam famulos, iam ipsos heros ex domibus cum ce-
 reis & facibus procedentes ad Eucharistiæ comita-
 tum. Coactum est hoc anno ab Archiepiscopo Tur-
 ritano Prouinciale Concilium, & quo die pro eius
 initio facta est ab Episcopis supplicatio, vnus de
 nostris Sacerdotibus perelegantem habuit oratio-
 nem, personis & muneribus Episcoporum aptissi-
 mam. Huic concilio præter Archiepiscopum, tres
 Episcopos, duos Abbates, & reliquam doctissimo-
 rum hominum, & curionum multitudinem, qui-
 dam de nostris interfuerunt: ac eorum auctoritas,
 diligentia & industria in rebus omnibus commen-
 data fuit: quo tempore Ampuriensis Episcopus
 apud nos diuersatus est, magnis erga nostram So-
 cietatem beneuolentiæ argumentis insignis, cuius
 liberalitatem tum semper, tum etiam hoc tempore
 potissimum experti sumus. Habitus etiam est in
 hoc Collegio Prouincialis Nostrorum Conuentus,
 quo tempore non exigua fuit ciuium erga nos libe-
 ralitas, quæ ad centum aureorum summam perue-
 nit. In aduentu Proregis ad hanc Vibem datum
 est in nostro Collegio drama perelegans. Theatrum
 autem

autem erat vario tum poemate, tum etiam emblemate decoratum: quod antequam daretur, perbreui oratione facta est eidem Proregi gratulatio. Nec solum domi laboratum est, verum etiam foris, hoc est, in pagis. Exciderat illud, ab Archiepiscopo Turritano, & à reliquis tribus Episcopis suffraganeis data esse literas ad summum Pontificem de nostro B.P. Ignatio in Sanctorum numero referendo, antequam concilium dimissum esset.

COLLEGIVM CALA-
ritanum.

Sodalitas equitum, & virorum primariorum quæ paulatim labebatur, erigitur studiosissime & quidam eius numerum augment. Quo die felix cælum discessus nostri B.P. Ignatij commemoratum est, innumera in nostrum templum pœnitentium multitudo confluxit, quod inde cõijcere licet, nam in vno sacro, quod Pater Visitator fecit, amplius quingenti sacræ mensæ accubuerunt. Neque omnibus ad confessionem paratis satisfieri potuit pro confessariorum inopia. Tempore Iubilei maxime nostris Sacerdotibus laboratum est, multis, præcipue eorum confessionibus audiendis, qui peccata voluerunt à pueris commissa repetere. Voluit Archiepiscopus nostrum templum vnum esse ex illis quæ assignanda erant, vt Iubilei tempore adirent ad quod ipse pontificio ritu vestitus in eadem supplicatione venit, quæ reliquas omnes in hac ciuitate olim factas & pietate & frequentia superat. Sexies enim (tanta erat supplicantium multitudo) templum ipsum repleti & vacuari oportuit. Appu-
lexum

lerunt huius Urbis portum Melitensium triremes, ad quas Patres aliquot ire iussi fuerunt, vt Christianos remiges & consolarentur, & fidei præcepta docerent, & ad peccatorum confessionem adhortarentur. Quo officio ab equitibus illis Melitensibus magnam sibi beneuolentiam conciliarunt. Quare statim ad Collegium conuenerunt, & eorum multi apertis confessione peccatis, sacro conuiuio sunt excepti, & octiduo illo, quo in eo portu tenuerunt, quotidiebus ad Collegium, vt cum nostris agerent, ad eas conciones, quæ & in Sodalitio B. Virginis, & in templo haberi solent, audiendas concurrerunt. Vnde magno erga nos affectu studio discessere: nam vt ipsi aiebant, Societatem vnã esse omnino in omni loco compererunt. Quiddam accidit in cuiusdam Hebræi adolescentis conuersione historia dignum; quod vt clarius intelligatur, erit paulo altius & à capite repetendum. Venit in Collegium Hebræus adolescens duos & viginti natus annos, acris febribus, & profluente ventris laborans, adeo affectus, vt animam exhalare videretur. Collegium ingressus flagitauit, vt iuberetur accersi Pater is, qui cum huiusmodi gente agere solebat, quem ipse visum à se aliquando cum duobus Hebræis Magistris disputare cognoscebat. Accurrit noster, quem vbi ille conspexit, cum lacrymis & magno cum studio per Christum obsecrauit, vt se sacro baptismo ablui iuberet, antequam huius lucis vsuram amitteret, (vt enim ipse fatebatur, à morte non longe aberat.) Ad preces & lacrymas suspiria accedebant ex intimo cordis emissa, & apprehensio manuum Patris. Rogauit Pater, quam causa

causa

de causa ad baptismum suscipiendum impelleretur tum ille se suae salutis cupiditate adductum, & eacertitudine, qua certo sciret praeter Christi fidem & legem fieri non posse, ut ad hanc salutem aspiraret id & se audiuisse, & sibi persuasisse partim miraculo quodam, quod suis viderat in terris, impulsum, quadam scilicet animaduersione, quam singulis diebus Veneris Maioris Hebdomadae, experirentur Hebraei, cuius narrationem morbi grauitas impediebat: partim etiam internis aculeis agitatum, quibus non solum ad Christi fidem amplectendam permoueretur, verum etiam stimularetur, ut moram abijceret, quasi eo affirmare vellet se morti proximum esse. Confirmavit eum noster, & paulum sacrae fidei rudimentis instruxit: quamuis, ne nimium eum fatigaret, domum suam redire iussit, factispe futurum, ut breui voti compos fieret. Proficitur Hebraeus ex Collegio, noster autem Archiepiscopum adit eius rei rationem redditurus, ac inde rectam domum Hebraei, quem, propter incommodum loci, mala passurum peripiciens, & simul veritus, ne ob eam causam eius vitae dies minuerentur, egit, ut in sella quam quatuor homines sustinebant, deferretur in Nosocomium, quem ipse Pater cum alijs urbanis viris prosequutus fuit. Quae officia profuerunt, ut mentem in suscepto consilio confirmaret, & animos resumeret ad eam legem, & fidem in eundam, quae tantam doceret misericordiam. Acceptus igitur in Nosocomium, doctrina Christi breui eruditus est. Quia vero morbus virgebat, & ardor atque conatus, quo baptismum ille flagitabat, sic augebatur, ut Physicorum iudicio vel vnus ille conatus satis esset ad

esset ad eius spiritum breui extinguendum, ei parere necesse fuit. Sacro igitur baptisate, in quo iacebat lecto, lustratus est, multis, qui accurrerant presentibus, atque adeo supra modum admirantibus, quanta cum pietate, quantoque cum studio Hebraeus ille sanctissimum baptismi Sacramentum acciperet. His peractis voluit noster illum ea doctrina informare, quam de sacratissimo Eucharistia Sacramento Ecclesia Catholica docet. Quod ut commodius & efficacius faceret, longè & à capite repetens in memoriam ei redegit, quæ diuinæ litteræ in veteri Testamento de magna Dei prædicat potestate, deq; ea virtute, quâ ad miracula edenda quibusdam Patriarchis & Prophetis impertitit, maximè vero Moyse, eiusque virgæ, in qua confitebatur Hebraeus Dei latere virtutem. Excepit illico noster, Christum Sacerdotibus tribuisse virtutem, quæ in corporis oculos non caderet, & potestatem, qua conceptorum verborum formula pronunciata, panis vini que substantia in Christi corpus sanguinemque transfret, qui à fidelibus dignè sumptus eorum animos recrearet. Ut audiuit Hebraeus diuini cibi nomen, sustine, inquit, Pater, scio hæc, quæ dicis: ac statim cum lacrymis, Pater mi, ait, per Christi sanguinem, hunc mihi præbe cibum, ut meum animum dies hic solatio cumulet: tum Pater, mox eum accepturum. Interim dum in templum ministri contenderent ad sacram Eucharistiam deferendam, cum vellet Pater rationem exponere, qua se ad eam accipiendam comparare deberet, miraculum narrauit Hebraeus, quod alij cuidam Hebræo contigerat, qui cum curiosè inter Christianos, qui ad sa-

M

crum

crum pabulum accedebant, se intulisset, & sacrum panem ipse quoque sumpisset, instar duri lapidis hæsit in faucibus, quin demittere posset, donec ad Christi fidem conuersus sacrum Baptisma suscepit. Ad hæc pia quædam adiunxit verba, quibus beneficium indicabat, quod sibi fiebat à Domino. Ecce perueniunt, qui sacram Eucharistiam afferebant, quam ijs recepit pietatis argumentis, vt præsentibus vim lacrymarum excusserit, septem autem post diebus in cœlum, vt speramus, est vocatus à Domino, cum in extremo spiritu maxima dederit dolorum peccatorum, & ardentissimi erga Christum, eiusque sanctissimam legem amoris argumenta, quem admodum, qui aderant, contestantur. Vnde apertum est, internos illos mentis impulsus, qui in flagitando, & maturando Baptismate extrinsecus apparebant, & quibus certò significare videbatur proximè adesse mortem, à Deo fuisse commotos, cuius misericordia illius animum ad salutem consequendam satis opportune huiusmodi motibus anteuertit.

Quidam cum præter consuetudinem (vt humanum est errare) se lapsum animaduertisset, in tantum sui pudorem, & animi ægritudinem est adductus, vt ob eam causam ad desperationem impelleretur à dæmone, & cum lacrymas continere non posset, ex suo pago aliquot passuum millibus remoto in Collegium consilij & remedij causa venit ad nostros; quod cum inuenisset, domum remigravit ad pristinam animi æquitatem reuocatus. Experti sumus hoc anno ciuium liberalitatem: sed in eo genere Marchionissa Sorrensis fuit insignis, cum dederit peristroma, quod quingentis aureis æstimatur.

tur, ex holoserico rubro, & veste Damascena contextum, quo bona templi pars ornari potest. Huius liberalitatem penè æquavit Franciscus Georgi, cuius erga nos assidua beneficentia, largitus enim est & altaris, & sacerdotis ornatum, qui aureos valet amplius quadringentos, ex Attalica veste. Missi duo de nostris Confessionibus accipiendis, concionibus habendis, & Christi fide tradenda: aliquot pagos obierunt, quorum opera multorum inimicitia sunt extincta, & composita pax inter duos primarios viros, qui cum aliquot annos alienos à se inuicem animos gererent, totum populum offendebant. Corrogata etiam pecunia magnus egestate laborantium numerus est vestitus.

DOMVS PROBATIONIS CALARITANA.

Pars ædificij, quæ cœpta fuerat erigi, sic vrgetur indies, vt paucorum mensium interuallo Deo duce manus extrema sit imponenda: quæ vt probatur omnibus, sic nostris vsibus est maximè commoda. Tyrones vna cum ijs, qui tertium Tyrociniij annum ponebant, fictiles urnas aqua plenas per æstatem frequenter in custodiam publicam comportarunt, non sine leuamine eorum, qui clausi & vinculis oppressi detinebantur, nec sine approbatione spectantium. Ad templorum ob anniuersaria solemnia celebrium aditus, eleemosynas ad sui demissionem petierunt. In Nosocomio & solatio fuere, & lætitiæ nō exiguæ ijs, qui varijs morborum generibus laborabant, domo verrenda, lectis componendis, doloribus agrotantium apto sermone leniendis, & excitandis animis ad similes labores in posterum perferendos.